

Scriptura, hoc est, literis est consignata, posterior est Ecclesia: non item, quatenus scriptura sumitur pro verbo DEI etiam non scripto.

162. Oggerant & illud, Ecclesiam simpliciter notiore esse scriptura: scripturarum enim interpretationem peculiare Spiritus Sancti donum esse, quod paucis obtingat. Ergo earum verum intellectum ex Ecclesiae determinatione, tanquam notiore petendum.

163. Sed falsissimum est Antecedens. Nihil enim notius & dilucidius ipsa scriptura, in ijs praesertim capitibus, quae de salutis nostrae ratione agunt.

164. Et ratio ipsa dicitur: semen prius esse eo, quod ex eo nascitur. Iam vero Ecclesia non nisi per verbum Dei, quod est semen illud incorruptibile, quo regeneramur, 1. Pet. 1, 23. colligitur, & conservatur. Ergo illud prius ac notius sit, necessarium est.

165. Ogganniunt & illud: Notae veras atque proprias esse prorsus ab Ecclesia inseparabiles. Atqui saepius in Ecclesijs, ut in Corinthiacis non fuisse puram praedicationem Evangelij. Ergo hanc non esse propriam Ecclesiae notam.

166. Trium hypotheseum observatione nodus iste dissolvitur. 1. Particularium Ecclesiarum ferme omnium sunt initio, quaedam quasi tyrociniis sive rudimenta: propter quae tamen veritatis laus derogari ipsis nec potest, nec debet.